

HISTORIA ECCLESIASTICA

INTRODUCTIO

§ 1. Notio, utilitas, methodus, fontes, divisio Historiae Ecclesiasticae (1)

1. NOTIO. Historia in genere est scientia seu cognitio certa rerum gestarum et earumdem narratio.

Historia ecclesiastica est scientia rerum gestarum Ecclesiae, id est, societatis a Jesu Christo fundatae ad salutem hominum procurandam. Haec enim societas, etsi spiritualis est, munus exerceat per homines et inter homines, immutationi in tempore et in loco subjicitur, et ideo historiam habet.

Materia historiae ecclesiasticae sunt quaecumque digna memoriac gesta sunt, tum a pastoribus seu ab Ecclesia docente, tum ab Ecclesia discente seu a fidelibus, in ordine ad finem societatis obtinendum. Narrandum est enim ex una parte quomodo evangelium salutis, allatum a Christo, propositum fuerit hominibus, quomodo fuerit ab eis acceptum, quibusque obstaculis occurrerit. Aliunde Ecclesia, ex ipsa voluntate Fundatoris, non fuit statim ab initio completa et perfecta, sed sicut granum sinapis orta (2), crevit in ingenitum arborem. Progressus igitur et evolutio ejus doctrinae, cultus, disciplinae, regiminis, administrationis, ab historia praetermitti non debent, quemadmodum in narratione memorabilium amplissimi viri non negligitur expositio evolutionis ejus facultatum et, ut aiunt, ejus formationis. Duplex itaque distinguitur objectum historiae ecclesiasticae: unum quod attinet ad evolutionem internam et progressum Ecclesiae, alte-

(1) De Smedt, *Introductio generalis ad historiam ecclesiasticam critice tractandam*, Gand, 1876; *Principes de la critique historique*, Paris, 1883; Langlois et Seignobos, *Introduction aux études historiques*, Paris, 1899.

(2) Mt., 13, 31.